

riosque ibidem existentium Confiniariorum Excessus; coram eadem Commissione Caesareo-Regia rursus, ubi e re fuerit, uberius specificandos et proponenda:

§. 4. Sic et Liberi ac Regii Oppidi Czirkveno; non secus etiam Bonorum Zriniano et Frangepaniano antehac Fiscalium, ac in praesens per Cameram Styriacam possessorum, quorundam Officialium graves pariter et enormes, in diversos Regnorum illorum Nobiles, eorundemque Jura et Possessiones, attentatos et patratos Excessus:

§. 5. Ita similiter diversorum Regnicularum contra Officiales itidem Generalatus Carlostadiensis, de adeptis sibi pluribus, et quidem notabilibus Bonis et Dominiis, praetensas querelas, illatasque injurias:

§. 6. Quemadmodum et tam de ejusdem Carlostadiensis, quam Varasdiensis Generalatum, alias pluribus jam antecederet quoque statutis Legibus vetitas; et in depascendis vicinorum ibidem Regnicularum et notanter Possessionis Draganicz; aliorumque passim Foenilibus, sibi impune vendicatas licentias cognoscendi; aliaque his similia sibi repraesentanda praejudicia et Excessus examinandi; discutiendique; ac ex aequo et justo determinandi; laesisque et injuriatis, eo facto plenam et omnimodam Satisfactionem et Contentationem impendendi; omnesque tales et similes, in futurum ne fors attentandos Excessus et Praejudicia tollendi et praecludendi, facultatem habeat.

*De Autoritate Banali; et Domini Bani Salario.*

Articulus 114.

Annuit Sua Majestas Caesarea et Regia, aecedente communi Statuum et Ordinum Voto; ut Comes Banus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, et Ejusdem in Officio Successores, non modo Autoritate Banali, juxta Conditiones Diplomaticas, et Articulos 27. Anni 1609. et Art. 62. Anni 1681. fungatur; \*) verum etiam Salarium suum et Banderii sui, juxta modernam benignam quoque applacitationem, ex Aerario Regio (more hactenus observato) habeat. \*\*)

*Subsidium pro Militia, per Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae solvi consuetum; ordinatur.*

Articulus 115.

Benigno Suo Caesareo-Regio Affectu (quo in Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Sacra Majestas fertur) resolvit clementissime; quatenus Subsidium pro Militia Confiniaria, per Statas et Ordines Eorundem Regnorum, ex propriis ipsorum Contributionibus jam ab olim solvi consuetum, pro tenore Articuli 75. Anni 1681. per Supremum Tricesimarum in iisdem Regnis

\*) Renovatur; An. 1723. a. 87.

\*\*) Urgetur; An. 1729. a. 20. Et de novo renovatur; An. 1741, a. 47.